



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Cap. II. Eiusdem Amor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49007](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49007)




Sapientia Amor 3.



Hæc fax non fumans quamuis non vritur, vrit.  
M. Baer. f.





*SYMBOLI EXPLICATIO.*

Adolescens accede ad sacros  
 hymenæos, Salomon mox ad-  
 erit nuptiarum paranympus:  
 hodie tibi diuina sapientia in  
 sponsam danda, en præsto est,  
 si modò velis, & ames. Non  
 amas? stolidus es profectò, &  
 amens: quid enim? formam  
 quæris? nil ea venustius: opes?  
 nihil vsquam ditius: nobilita-  
 tem? nihil ipsius genere diui-  
 nius; quidquid cælo, terraq; bo-  
 num, optandumq; est, pro dote  
 est, habetque ferè sibi vni istud  
 proprium: amatores suos suâ  
 pulchritudine pulchros, suis  
 diuitijs opulentos, suâ nobilita-

B 2

te




te diuinos, & quidem æterno  
nexu efficit.

Si igitur amare, si procum  
agere, si matrimonio iungi lu-  
bet, sunt hîc casti amores, peti-  
tiones honestæ, sanctæ faces:  
sapientiam ama, pete, tibi iun-  
ge. adhuc tergiuersaris? mauiis  
fortasse inter porcos, procos,  
turpesque Veneris amafios,  
quàm inter generosos sapien-  
tiæ Hyppolitos versari? ô pro-  
brum!

CA.





## CAPVT SECVNDVM.

*Sapientia Amor.*

## M O N I T V . M .

Sapientiam ceu sororem, ceu sponsam amato, procator, ducito.

## S A L O M O N .

**D**ic Sapiencia, soror mea es: *Et prudentiam voca amicã tuam*  
Prou. 7.

Hanc amavi, *Et exquisiui à iuuentute mea, Et quasi sponsam mihi eam assumere, Et amator factus sum forma illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed Et omnium Dominus dilexit illam. Doctrix enim est disciplinae Dei, Et electrix operum illius. Et si diuitia appetuntur*

B 3

tuntur



tuntur in vita, quid sapientia locuple-  
tius, quæ operatur omnia? si autem sen-  
sus operatur: quis horum, quæ sunt, ma-  
gis quàm illa est artifex? Et si iusti-  
tiam quis diligit: labores huius magnas  
habent virtutes: Proposui ergo hanc ad-  
ducere mihi ad conuiuendum, sciens quo-  
niam mecum communicabit de bonis, Et  
erit allocutio cogitationis Et tædij mei.  
Non enim habet amaritudinem conuer-  
satio illius, nec tædium conuietus illius,  
sed lætitiã Et gaudium. Hæc cogi-  
tans apud me circuibam quærens ut mi-  
hi illam assumerem. Sap. 8.

Præposui illam regnis Et sedibus: Et  
diuitias nihil esse duxi in comparatione  
illius. Super salutem Et speciem dilexi  
illam: venerunt autem mihi omnia bona  
pariter cum illa. Sap. 7.

MEN-



\*\*\*\*\*  
 MENTIS SALOMONICÆ  
 INTERPRETATIO.

## §. I.

*Sapientia Adolescenti ducenda in  
 sponsam.*

**S**I fortè, mi bone Adolescens, vernāntis, calentisq̄ue ætatis ardor in amores te, coniugijq̄ue cogitationem, ceu quidam intemperantis animi turbo, arripit: intempestiuum, incestumq̄; ignem comprime, & disce quid sanctè & castè amare possis: sunt enim sui sapientibus amores, ijdemq̄ue casti, sunt & honestæ nuptiæ: eò tu conuola, agedum, quod paranympus Salomon monet. *Dic tu Sapientia, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.* Sapientiam, inquam, ama vt sororculam, id est, pudicè tamen; eamq̄ue tibi iunge in sponsam: nã ego vehementer fallor, nisi amicam & sponsam accepturus sis omni Venere venustiorrem, potentiorrem Iunone, Pallade doctiorrem, fideliorem ipsa Penelope.



## §. I I.

*Sapientiae dotes, & quàm ardenteream  
procatuſ eſt Salomon.*

**S**Ed ſummatim ab ipſuſmet Salomonis ore eximias ſapientiae dotes depraedicari audias, quae ſapientiſſimum illum omnium mortalium ita in ſui admirationem amoremque rapuerunt: ut quòd ſuos ignes celare diutiùs non poſſet, ingenuè quantam ſapientiam deperiret profiteri coactus ſit. *Hanc, ait, amari, & exquiſui à iuuentute mea, & quaſui ſponſam eam mihi aſſumere.* Quidni verò id faceret? ſi enim pulchritudo, quae potentiffima eſt animorum conciliatrix, & quae ferè primum in ſponſa amari ſolet, requiritur: *pulcherrima eſt ſapientia.* Quare coſe telo ſtatim confixum fatetur, neque vulnuſ diſſimulat: *Amator, inquit, factuſ ſum forma illiuſ.* Iam ſi generis antiquitas nobilitaſque ſanguinis petitur. *generoſitatem illiuſ glorificat, contuberniuſ habens Dei, ſed & omnium Dominuſ dilexit illam:* quippe de caelo generoſam indolem duxit, quae eam numini ipſi charam familiarẽque redderet: quã ingenuã nobilitate nihil ne fingi quidem poteſt diuiniuſ.



nius. Porrò, si non tantum formosa & nobilis : sed etiam doctrinâ ac consilio (quæ non infima dos) præstans mulier viro ducenda : illa *doctrinâ est disciplina Dei, ac electrix operum illius*: ut pote diuinorum arcanorum conscia, eademque magistra ac interpres : *adhuc si in vita diuiniæ appetuntur, quid sapientiâ locupletius?* nullâ aliâ viâ compendiosius homines ad maximas opes, atque adedò ad summos magistratus, & imperia, aut grassentur, aut contendant. Denique si sensus rerumque gerendarum peritia, *si iustitia, si cæteræ virtutes, quæ honestissimum amplissimumque est patrimonium, optanda in coniugio, maximeque amanda sunt, in vnus profectò ac solius sapientiæ amplissimo sinu hæc omnia, velut in ditissimo penu, condita reseruantur.* *Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum: ut postquam domum tanquam charissimam sponsam duxero; iucundissimam perpetuamque vitæ ac communium studiorum societatem ineam.* Nimirum sciebam me coniugij iure ac fœdere vxoriarum rerum bonorumque omnium participem fore; suauissimosque tam sancti contubernij fructus percepturum. *Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec radium conuictus illius: sed lætitiâ &*

gall.



dium. Hac cogitans apud me, circuibam quærens: ut mihi illam assumerem: prapofui illam regnis & sedibus: & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, super salutem & speciem dilexi illam: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Vides iam, opinor, mi Adolefcens, vt Salomon sapientiam amat: vt eius ducendæ defiderio ardet: nam circuire ac quæritare, accurati sanè follicitiq̃ue animi studium est: imò proci impotenter impatienterq̃ue ambientis. Nunc quid idem Salomon factitarit, quem non lapidem mouerit: vt sapientiam, quam optimè à Deo dotatam intellexerat, castissimo sibi coniugio adiungeret, aduerte.

## §. III.

*Salomonis vota, preces, studium pro ducenda sapientia.*

**I**Mprimis de cælo, vbi illa sibi sedem posuit, precibus votisque accersendam esse intelligens, numen precando fatigare cœpit: frui vt sapientiæ honestissimo coniugio sibi liceret. Sed hîc eum rursus suis verbis sua incendia promentem audiamus. *Ut scini quoniam aliter non possem esse continens: nisi Deus det, & hoc ipsum eras sapiens.*

sap. 8.



sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij  
 Dominum, & deprecatus sum illum & dixi  
 ex totis precordijs meis: Deus Patrum meo- <sup>Sap. 9.</sup>

rum, & Domine misericordia, da mihi se-  
 dum tuarum assistricem sapientiam, & noli  
 me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus  
 tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ homo infir-  
 mus, & exigui temporis, & minor ad intelle-  
 ctum iudicij, & legum. Mitte illam de calis  
 sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut  
 mecum sit, & mecum laboreet; ut sciam quid  
 acceptum sit apud te. Reliquam per multa  
 capita prolixè diuque orantis precatio-  
 nem studio breuitatis prudens omitto.

Atque ne verba tantum ac voces, quod <sup>3. Reg. 3.</sup>

cuique in promptu est, iactatas fuisse ar-  
 bitreris: idem postea Salomon cum cla- <sup>2. Paralip.</sup>

rissimo totius regni magistratu tum vr-  
 bano tum bellico, in montem Gabaon:  
 ubi tum Arca religiosissimè asseruabatur,  
 venerabundus concessit, atque ad altare  
 supplex, per sacerdotum manus, non Py-  
 thagoricam hecatomben: sed mille victi-  
 mas sapientiæ à Deo impetrandæ causâ  
 ritè obtulit. quem verò adeò sumptuosæ  
 atque armatæ preces non inflecterent?  
 ergo paulò post altâ nocte inter dor-  
 miendum cum etiam in somno (ut acri-  
 ter coquentibus curis fieri assolet) diui-  
 nas cogitationes reuolueret: atque à nu-  
 mine



mine sibi viso postulare iuberetur, quid potissimum vellet, illeque sapientiam, quam vigil perdidit optarat, pernox ac dormiens etiamnum iterum iterumque efflagitaret: repente sopito sibi diuinissimum lumen, tantamque reconditissimarum rerum agnitionem affundi sensit: quanta hactenus concessa fuerat nemini. Theologorum Phoenix Aquinas Salomonem docet dormiendo sapientiam minimè promeruisse, neque accepisse: sed in somnis audiuisse tantum oraculum, quo infundenda diuinitus sapientia promittebatur, si modò ad preces exercitationes præterea, studiumque adhiberet, honestis disciplinis vacaret, sapientes denique & magistros audiret: quod ex nonnullis ipsius Salomonis sententijs colligi posse videtur. Ita nihil est in Salomone, vnde oscitantibus, & minimè sollicitis dari sapientiam arbitremur. Illa igitur nocte, post diuturna studia, longos gemitus, repetita vota, opimæque sacrificia, sapientiam inter Salomonemque sponsalia sunt contracta, ac deinceps nuptiarum illæ fuere faces accensæ, quas ne secuta quidem posterioris ætatis flagitia ac ne mors ipsa prorsus extingueret. Non iam igitur tam verbis, quam suo te exemplo diuinus Salomon ad connubiales sapientiæ,



pietiaē tædas, castosque hymeneos in-  
uitat. Et arderes profecto istius sponsæ,  
neque fortasse lentiori flamma: si quam  
ille contemplabatur animo sapientiaē  
speciem ac formam fas quoque tibi esset  
propius fixiusque contueri.

## §. IV.

*Diuinæ sapientiaē species S. Iustiniano  
quondam spectata.*

**L**icuit verò istud olim, & quidem mul-  
tò, quàm Salomoni, purius sanctius-  
que sancto Iustiniano optimo Veneto-  
rum patriarchæ. Quares quemadmo-  
dum acciderit, quantosque in animo  
ipsius ignes ac motus excitauerit, velim  
ipso stylo veteri, id est, candido & aperto  
exponat. Ita igitur sine cerussa & fuce,  
rem prout erat ipse scribit. *Venite Iose-*  
*phatatores pacis & inconcussi boni amatores:*  
*eram & ego aliquando vestri similis quærens*  
*anxio æstuantiq; desiderio pacem in extrinse-*  
*cis: nec inueni. Tandem diuina præuentus gra-*  
*tiâ dum sic laborarem, speciosissima quædam,*  
*sole splendidior, balsamoq; suauior, mihi ap-*  
*parere dignata est cuius ego nomen ignora-*  
*bam: hæc namque propius accedens venusto*  
*vultu, placidoq; affatu inquit. O Iuuenis in*  
*me*

In fasc.  
amoris c.  
16.



me diligende, cur effundis cor tuum, pacemq̄  
feliando variaris per multa? quod quæris  
in me est quod concupiscis tibi polliceor spon-  
deoq̄ne: si tamen me in sponsam habere vo-  
lueris. Fateor quoniam ad eloquium illius  
elinguat cor meum, & amoris eius iaculo trās-  
fixus sum. Compleuit quadam insolita letitia  
mentem meam, & omnia interiora mea tali  
exultatione perfusa sunt. Cū verò in his po-  
situs nomen ipsius, dignitatem, & genus scire  
peroptarem: adiecit se Dei sapientiam vocari,  
& esse, quæ in temporis plenitudine pro homi-  
num reconciliatione humanam formam sus-  
cepit, & quæ ante inuisibilis erat cum Patre,  
visibilem naturam, ut amplius amaretur, ac-  
cepit ex Matre. Cui cum ingenti gaudio præ-  
buissem assensum dato pacis osculo læta disces-  
sit tunc & deinceps amoris illius flamma ex-  
creuit, memoria viguit, ac dulcedinis illius ab-  
undantia perdurat. Hanc itaque amavi, ut  
sponsam: hanc ut carissimam tenui, ipsaq̄ me-  
diante pacis bonum, quod antè quæsieram, gu-  
stavi. Hortor uniuersos properare ad illius  
speciē, quia lætissime suscipit omnes accedētes  
ad se, pacisq̄ inebriat poculo: ita ut vltra sitire  
non possint. Hactenus Patriarcha Venetus  
eadem, quæ Salomon, præcipiens, teque  
cum illo rogans, Adolescens Academice,  
egregijs vt sapientiæ dotibus diuināque  
specie ante oculos propositis, ad illius  
san-



sanctos amores pellici te sinas: ideò enim ante ingressum in Academiam ara olim, & casti amoris signum collocabantur: vt Academici Iuvenes scirent sapientiam, vt numen quoddam, pudicè sibi diligendam esse. Id ergo age, sapientiam tibi eblandire, primum vt sororculam, tum vt amicam procare, duc deinde in charissimam sponsam: denique cum ea ini perpetuam vitæ honestorumque studiorum societatem. Quidni tu sapientiã quoque ardentissimè ames, nullisve aut laboribus, aut difficultatibus deterreare, quin potiaris? Quam ob causam putas supremum rerum molitorem Deum homini rationem, quã à bestijs distingui-mur, concessisse: nisi vt rerum creatarum cognitione, id est, Philosophiæ studio, in creatoris cognitionem, qui Philosophiæ finis est, amoremque veniamus? quorsum eum statim in mundi medio, quasi in theatro, sapientissimus ille opifex cõstituit, corpus erexit, oculos ad omnem partem volubiles in capite velut arce collocavit? nisi vt mentem hac ratione, quoquo versus oculi & vultus spectarèt, conuerteremus: atque consideratis primum ijs, quæ propiora sunt, & quæ calcamus: mox conspiceremus ea, quæ nos ambiunt: atq; ex his gradum faceremus  
pau-



paulatim ad elementorum, cælorum, cælestiumq; rerum contemplationem: postremo ex toto opere opificem, cognosceremus, coleremus. Itaq; allubescere tantum cuique hoc studium debet, quantum hominem se esse & dici amat. Amor verò hic, desiderium & conatus tanta sint oportet, quantû rei tum dignitas tum honestas atq; vtilitas, & Salomonis, aliorûq; quos diximus, exempla postulant.

## §. V.

*Finis, ordo, modus etiam, in studio sapientiæ præfiniendus.*

**V**ERUM hic mihi retinendus es, Adolescens Academice, ne in sapientiæ amorem studiumq; tam cæco, tamq; amenti impetu rapiare: vt ne ue finem eum, quem oportet, neque ordinem, modumq; aduertas. quo in genere neque pauci, nec leuiter errarunt: sunt enim, & fuere olim, qui ad Philosophandum venerunt non tam ad veritatis inquisitionem, quàm ad tabularum sophistarû cauillationes & argutias addiscendas: neq; ad propagandam vel propugnandam religionē, sed depromptis ex Philosophiæ armamentario machinis, ad turbandam  
pri-



primum; deinde, si possent, expugnandam: qua in re, tum stolidissimè, tum impiissimè fecerunt: quod duas sorores germanas, sapientiam & religionem, quæ tanto nexu cohærent: vt ne cogitatione quidem diuelli se patiantur, distrahere conati sunt. Quare is ad Philosophiam appellenti finis constitutus sit inquisitio veritatis, cultus Dei, propugnatio propagatioque veræ religionis; qui idem est vitæ humanæ scopus: cætera verò omnia Magistri, condiscipuli, libri sint eiusmodi: vt ad eum, quem dixi, finem quasi manuducant. Ergo tanquam pestes fugiendi erunt errorum & falsitatum præceptores; improborumque consortiones: neque minùs libri illi ablegandi, qui falsa aut peruersa dogmata explicant, & errores atque vitia progignunt. Quamdiu Agar & Ismael cum Sara & Isaac concordēs esse volunt; ita vt ancilla & seruus Dominæ eiusque filio pareant; in domo Abrahæ retineantur. Philosophi, inquam, legantur probenturque; quamdiu veritati ac religioni consenserint, & ancillari minimè recusarint: alioquin è Christianorum scholis exturbentur. Placetne Basilium etiam audire in eos declamantem, qui nullum sibi studiorum scopum, aut alium, quàm oportet, constituerunt?

C

tuerunt?



Basil. quo-  
modo leg.  
Ethnic.  
libri.

tuerunt? Cùm gubernator, inquit, haud temerè se ventis committat: sed nauim rectà gubernet, ac moderetur ad portum, & sagittarij ad metam ac scopum iaculentur. Item fabri diligentia aut architecti arte suà rem ad finem aliquem perducant: nos talibus artificibus sapientià inferiores simus ad planè consideranda, quæ ad nostri animi profectū faciunt? erit itaque operariorum consideratio finis operis, & humana vite consideratio finis non erit? quem proculdubio finem respicere, ac eius gratia cuncta facere, & dicere illum, qui brutis equiparari non cupit, oportet: quo sanè neglecto nostra mens veluti sine arte nauigium, nullo assidente ad gubernaculum, temerè huc illuc exagitur.

Sermone  
36. in can-  
tica.

Sed quis aut finis, aut ordo, aut modus seruandus hinc sit, omnium suauissimè scitissimeque docuit S. Bernardus: Quo ordine? ait, ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, vel aliquid simile: sed tantum ad edificationem tuam, vel proximi: sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum: ut sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt: ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est, & sunt item, qui scire volunt: ut scientiam suam vendant; verbi gratia pro pecunia, pro honoribus, & turpis questus



questus est: sed sunt quoque, qui scire volunt: ut adificent, & charitas est: & item, qui scire volunt: ut adificentur, & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientia, quippe qui ad hoc volunt intelligere: ut benefaciant. Atque hic idem finis fuit, ordo, modusque studiorum: quem tum S. Patens ordinis nostri Ignatius socijs, tū societas suis discipulis præscribunt, AD MAIOREM videlicet DEI GLORIAM, Animarumque salutem.


## O R A T I O.

*Ad excitandum amorem & desiderium veræ sapientiæ.*

**A**MO DEVS meus, amo sapientiam: sed tuam; sed teipsum, qui es sapientia, & verbum æterni Patris. & utinam ardentius amem te, ô pulchritudo tam antiqua, & tam noua! serò licet, serio tamen amare te volo. Ecce sapientiæ dico, soror mea es, & prudentiam voco amicam meam. Super salutem & pulchritudinem diligo sapientiam, ac propono pro luce habere illam: ut veniant mihi omnia pariter cum illa. Hanc amo, ac ex-



quiro à iuuentute mea : amator factus  
sum formæ illius. Verùm sciens, quo-  
niam aliter illius continens ac compos  
esse non possim, nisi tu dederis; & hoc  
ipsum sapientia est, scire cuius sit do-  
num: ideò sapientissime IESV, ex intimo  
cordis mei affectu deprecor te : mitte il-  
lam de cælis sanctis tuis; & à sede ma-  
gnitudinis tuæ : vt mecum sit, ac mecum  
laboret : vt eâ hîc aliquando potitus in  
terris, eâdem in cælis æternùm perfrui  
possim. Amen.



SYM-